

quam manu allevans rex, *non errasti*, inquit, *mater; nam et hic Alexander est*. Equidem, si hac continentia animi ad ultimum vitae perseverare potuisset, feliciorum fuisse crederem, quam visus est esse, quum Liberi patris imitaretur triumphum, ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoria emensus. Vicisset profecto superbiam atque iram, mala invicta: abstinuisset inter epulas caedibus amicorum: egregiosque bello viros, et tot gentium secum domitores, indicta causa veritus esset occidere. Sed nondum fortuna se animo ejus infuderat: itaque orientem eam moderate et prudenter tulit, ad ultimum magnitudinem ejus non cepit. Tum quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et continentia et clementia vincerentur. Virgines enim regias excellentis formae tam sancte habuit, quam si eodem quo ipse parente genitae forent. Conjugem ejusdem (Darii) quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet: omnem cultum reddi feminis jussit, nec quidquam ex pristinae fortunae magnificentia captivis, praeter fiduciam, defuit. Itaque Sysigambis: *Rex, inquit, mereris, ut ea precemur tibi, quae Dario nostro quondam precatæ sumus, et, ut video, dignus es, qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam aequitate superaveris. Tu quidem matrem me, et reginam vocas; sed ego me tuam famulam esse confiteor: et praeteritæ fortunæ fastigium capio, et praesentis jugum pati possum: tua interest, quantum in nos licuerit, si id potius clementia, quam saevitia, vis esse testatum*. Rex bonum animum habere eas jussit. Darii deinde filium collo suo admovit; atque nihil ille conspectu tunc primum a se visi conterritus, cervicem ejus manibus amplectitur. Motus ergo rex constantia pueri, Hephaestionem intuens: *quam vellem*, inquit, *Darius aliquid ex hac indole hausisset!* Tum tabernaculo egressus, tribus aris in ripa pyraui amnis, Jovi atque